Jacobus dei gratia Rex Aragonum Valencie Sardinie et Corsice Comesque Barchinone ac sancte Romane ecclesie vexillarius
amiratus et Capitaneus generalis. Fidelibus suis Juratis probis hominibus et universitati Civitatis Gerunde. Salutem
et gratiam. Cum nos per alias litteras nostras mandasse recolimus ut cum pro arduissimis negociis statum honorem utili-
tatemque regnorum et terrarum nostrarum ac habitancium in eisdem respicientibus prelatorum nobilium et aliorum civitatum Aragonie
et Cathalonie consilium habere velimus, ob quam causam dictos prelatos nobiles ac alios duximus evocandos ut in dominica ante
festum Ramispalmarum proxime venientem essent in Civitate Dertuse, et vos eligentes procuratores et sindicos vestros quos
propterea in civitate predicta die predicta faceretis adesse. Verum cum ex quibusdam causis que nobis postmodum occurrerunt, in
Civitate et die predictis adesse personaliter non possimus. Et propterea Civitatem Ilerde loco dicte Civitatis Dertuse
commutando, et diem prefixam usque ad quindecimam diem post festum pasche resurrectionis domini providimus
prolongandam, ideo vobis dicimus et mandamus quatenus eligatis procuratores et sindicos vestros certos unum providos et discretos
qui in Civitate Ilerde predicta quindecima die post festum pasche ad quam Civitatem et diem prelatos et nobiles
ac procuratores Civitatum Aragonie et Cathalonie nomine evocamus, omni excusatione et mora postpositis vos representent
faciant etc. Datum Barchinone kalendas Marcii anno domini M° CCC° octavo. Sigillum